partes ante mixtionem non possunt ejusdem esse naturæ quam post mixtionem. Speciali quoque experimento, *solius ignis & aquæ communis ope, durissimos quosque lapides in mucorem resolvo*, qui destillatus, subtilem *spiritum* exhibet, & *oleum*, nullis laudibus sufficienter deprædicabile. N. 12. Contigit quoque, quod *crystallum* solveremus, solutionemque abstraheremus; invenimus in fundo totam crystalli solutionem siccam, *pellucidissimam*, & consistentem, instar *gelatinæ*, *tractabilem*, & malaxabilem *ut cera*, ad ignem leviter ut *Borrax*, sed non ad auram, fusilem. N. 13. Mirum profecto productum, quod etiamnum miraculi instar apud nos servamus. Ex quibus, & multis aliis experimentis, non adeo grave erit concludere, lapidem nostrum non semper in forma *lapidis*, sed subinde *aquæ*, *fumi & terræ* larva contineri; & cum aliis miscetur, substantialiter *accrescere*, prout in historia lapidum inferius de his latius. Non possum autem hoc loco specialiorum demonstrationem omittere, quæ oculis occurrit in ipsis mineris; nam cum Metallicolæ venas indagant, ante omnia lapidis ductum, de quo hactenus egimus, observant, nempe *die Klüfft und Quartz*, & habito hoc ducto, ajunt se habere *den Gang*, cujus lateribus, id est, *lapidi nostro*, terra adhæret, quam *Bstieg* vocant, signum metallicolis acceptissimum. N. 14. Quo lapis noster, tanquam involucro & amnione involvitur, & revera eo nutritur & augetur. Nam taceo communem usum, quem hæc terra in *liquefactione* mineralium habet (est enim *fusilis*, & per omnia nostro lapidi similis.) Mirabilis quoque ex ea *spiritus* elici potest, isti non absimilis, quem ex *lapidibus* præparavimus, & cujus paulo ante, sub *limo fontium*, mentionem fecimus. Ex quibus liquet, non impossibile esse, hunc lapidem sub *terræ* forma larvari; imo etiam sub subtilissimi & penetrantissimi *spiritus* idea, qui spiritus præfatæ terræ copiosissime inest, ut praxis docet, & antecedenti Sectione de *terræ*, *limi*, & *luti* historia, uberius explicavimus. Hoc ergo *lapidificante*, atque omnia penetrante *vapore*, mineras turgere, hunc nostrum lapidem, tanquam principium principiatum metallorum, *foveri*, *augeri*, præparari & *nutriri*, quin & reliquos duos fumos ab eo non raro *in ipso aëre capi & figi*, ac forma absolutissima (*gediegen*) minerarum parietibus affigi, certissimum est. N. 15. Unde non immerito Hermes ait: *ventus in utero portavit, mater ejus terra est, potentia ejus perfecta est, si in terram mutetur*, seu per terram *figatur*. Nec in *aëre*, nec in ipsis lapidibus modo, & montibus, sed & in *aquis* metalla generari, certum est. N. 16. Nam etsi non contrarius sim illis, qui metalla in aquis inventa, inprimis *aurum* (*Waschgold*) ex *ductibus* subterraneis, ac permeantibus, ejusmodi metalli feracibus venis, procedere ajunt; his tamen adversor, qui *omne* metallum ibi inventum, ita eo devectum esse contendunt. Quid enim prohibet? quo minus *in aqua* natura operetur, quam in *aëre*; præsertim quando requisita principia habet, quibus indiget, & quæ ab aqua nec offenduntur, nec alterantur. Nam ut postea docebimus, falsum est, ad generationem metallorum *calorem* requiri; *mixtio* enim est, non *generatio*. N. 17. Principia tamen per calorem præparari & moveri non nego; sed principiatum *sine calore* *misceri* posse defendo, & aquis non impediri dico: quod ejusmodi principiata, aquis,